



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Eduardus. 5. Januarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

3. Alius non erit Iudex, ad quem possis provocare: vix lata erit sententia, cum incipiet tortorū carnificina; nihil lachrimæ, nihil gratia, nihil munera proderunt ad funesti decreti vel rescissionem, vel dilationem. Pro arbitratu meo jam meam mibi possum confidere sententiam: sim accusator, sim Iudex, sim tortor meus, & nunquam imparatus ad reddendam vitæ rationem. Quid faciam, cuncte venerit ad judicandum Deus, & cum quaferit, quid respondebo illi? Job.

## S. EDUARDUS.

1. Januarii.

*Venite Benedicti Patris mei, posside-*  
*tete paratum vobis Regnum a con-*  
*stitutione mundi. Christus Matth. 25.*

**E**DWARDVM in utero adhuc latitantem fortuna tamen Angliae Regem legit: firmavit electionem Cœlum: siquidem in Regem unus ab ipso Apostolorum Principe memoratur. Conjugio porro, ad quod invitum Regni Proceres traxerunt, Virginitatem copulavit pulcherrimo matrimonio. Pater pauperum, Filius dici poterat summi clericorum Pontificis, ita hunc semper coluit. Tributa liberaliter remisit, postquam iis incubare custodem.

Alius.

Custodem Orci Cerberum vedit. Jam nec ad  
viles mendiculi postulata erubuit, qui mem-  
bris suis captus, promissam à D. Petro sani-  
tatem asseverabat, si bajulo ad templum  
Rege uteretur: quin mox in humeros tustu-  
lit, pium onus ad aram portavit, stipemq;  
divitem sanitatem addidit. Sed & cœci non  
nulli, quâ undâ manus Rex laverat, hac  
oculis ipsi tenebras cluerunt. Facienti Sa-  
cerdoti cum adesset, conspicuus ei ab ara  
benè precatus est Christus. Quidvis amore  
D. Ioannis, quem Evangelistam dicimus, ro-  
gantibus, nihil visus est unquam negasse.  
Hanc ille religionem præclarè obsignavit  
annulo suo, dum eum ipsi Divo mendica-  
bulum adsimulanti dono dedit. Hic annu-  
lum Regi remisit, simul de mortis hora  
commonuit: quem nuntium ille toto mox  
regno vulgavit, quô preces undiq; piorum  
cogeret. Atque eo viatico, quamvis suis jam  
dives meritis, longum cœli iter ingressus  
est, anno post Virginis partum M. L. XVI.  
& quia nullam corpus animo Virgini in vi-  
ta, mors diu nullam etiam corpori in-  
tumulo labem aspersit.

*Ex Surio.*

MEDIT.

## M E D I T A T I O

*De gloria Paradisi.*

1. IN Cœlis Deo fruimur, ac simul ceteris qui-  
buscunque. Caret hæc lachrimarum vallis de-  
liciis, quibus redundat Cœlestis patria. Tam fluxis  
itaq; voluptatibus abstineamus, in quibus nunquam  
omnino acquiescit animus, ut potiamur cœlestibus.  
Delicie, honores, divitie, quam sordetis Cœlum  
consideranti! Solo Deo satiatur animus, Ah Do-  
mine! felicitas haec acquiri potest, estimari non potest.  
August.

2. Illie erunt, quæcunque volueris; aberunt,  
quæcunque nolueris; nullæ lachrimæ, suspitia nul-  
la, nulli dolores, nulla tristitia. In Cœlo merum  
gaudium, nullo felle permixtum. Sancte æquum est,  
ut tot delicias emam nonnullis laboribus. Quid  
enim sunt labores nostri, si cum gloriâ Paradisi,  
& cœlestibus bonis comparentur?

3. Sed hæc quamdiu? Tota æternitate! Hoc  
nōrunt Sancti. O felix æternitas! si caperent te  
Christiani, quid non agerent? Omnia, quæ labun-  
tur eumt empore, indigna sunt curia nostris. Quid-  
quid æternum est, magnum est. Unam itaq; spe-  
ctemus æternitatem, & parvi faciamus bona hujus  
vitæ. Nam omnem omnino fugabit tristitiam co-  
gitatio ejusmodi. Momentanum quod cruciat, ater-  
num, quod deleat.